

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Historia Resurrectionis Christi Secvndvm Matthævm Explicata, Et Harmonice Cvm Narrationibvs Reliquorvm Evangelistarvm Collata ...

Varios Sermones Jesv E Mortvis Resvscitati, In Galilæa Atqve Bethaniæ
Cvm Svis Habitos, Exhibentem ... In Lvcem Edita, Consvetoqve Academico
Examini Anno MDCCXXXV. Die XVII. Mensis Jvnii

Rusmeyer, Michael Christian Rusmeyer, Michael Christian
Gryphiswaldiae, [MDCCXXXV?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-9466

HISTORIA RESVRRECTIONIS CHRISTI

SECVNDVM

MATTHÆVM

EXPLICATA

ET HARMONICE

CVM NARRATIONIBVS RELIQVORVM
EVANGELISTARVM COLLATA,

QVOD

PARTIS POSTERIORIS,

SECTIONEM ALTERAM

VARIOS SERMONES JESV E MORTVIS RESV-
SCITATI,

IN GALILÆA ATQVE BETHANIÆ CVM SVIS HA-
BITOS, EXHIBENTEM,

CVM DEO

ET

VEN. FACVLT. THEOL. CONSENSV

IN LVCEM EDITA

CONSVETOQVE ACADEMICO EXAMINI

ANNO MDCCXXXV. DIE XVII. MENSIS JUNII

EXPOSITA

A

MICHAELE CHRISTIANO
RVSMEYERO,

SS. THEOL. D. ET PROF. FACVLTATISQVE
THEOL. SENIORE,

RESPONDENTE

IOHANNE TESSMARO,

PALÆO-SEDIN. POMERANO. SS. THEOL. AC PHILOGIÆ
STVDIOSO.


GRYPHISWALDIÆ, TYPIS HÖPFNERIANIS.

39^c



B.I.G.

Farbkarte #13



VIRIS
MAGNIFICIS, SUMME REVERENDIS,
EXCELLENTISSIMIS ATQVE
DOCTISSIMIS,

DN. TIMOTHEO
LÜTKEMANNO,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI AC PROFESSORI
PRIMARIO, VNIVERSITATIS PRO-CANCELLARIO
PERPETVO, CONSISTORII REGII PRÆSIDI GRA-
VISSIMO, POMERANIÆ RVGIÆQVE SVPE-
RINTENDENTI GENERALI VIGILAN-
TISSIMO, ETC.

NEQVE NON

DN. JAC. HENR.
BALTHASARI,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESSORI
ORDINARIO, FACVLTATIS THEOLOG. H. T. DECA-
NO, REGII CONSISTORII ASSESSORI GRAVISSI-
MO, PASTORI JACOBÆO MERITISSIMO.

DOMINIS PATRONIS, PRÆCEPTORIBVS, STVDIORVM QVE
SVORVM PROMOTORIBVS ÆTERNVM COLENDIS,
DEVENERANDIS

Hæc Dissertationis Theologicæ pagellas debiti ac perpetui cul-
tus monumentum ea, qua par est, animi observantia &
cum omnigenæ felicitatis voto

dicat atque offert
RESPONDENS.

Quid juvat argento sibi nomina magna parare
Doctrinaque tamen, destituisse sacra?
Hunc modo mendacis fucus titillat honoris,
Atque nitens oculis pondus inane manet;
Gaudet ut eximio sublimis imago nitore,
Sed tamen exsanguis, vita animoque caret.
Tu TESSMARE choris & Apollinis arte vacasti,
Hinc *Tibi* nomen, honos, lausque decusque
manet
Adscensa Cathedra, profers certissima signa
Quod Musas, cura, fervidiore colas,
Interea *Tibi* fausta precor: Patriæque, *Tuisque*
Prosis; Quod superest, parta tuere; Vale.

Hifce paucis Prænobiliffimo juxta ac Doctiffimo
Dn. RESPONDENTI hocce eruditionis fpecimen
infigliter editum candido gratulari pectore
voluit, debuit.

NIC. BÆRENWALD,
Barda - Pom. Philos. atque Theol. Stud.

Gratulor ô TESSMAR felicia dona Minervæ
Quæ merito clavis pagina tersa nitet.
Apprecor ex voto succedant cepta fluantque,
Lucraque sic referas, quæ cupis ipse Tibi.

Hicce paucissimis amicus gratulatur
haud incognitus.

Virtus

Virtus assiduusque labor ad culmen honoris
Aëreum perfert non est via rectior illa
Sic sudor madidus iam sic TVA splendida virtus;
Candide TE quoque nunc ad honores ducit *Amice*,
Intrepidus cathedram multa cum laude salutas,
Defendis docte Christum, iam morte solutum,
Perge, & sic venies ad summa cacumina laudis.

Hiscæ paucis ac incommotis amico suo integerrimo ex animo
gratulari voluit

CHR. WILH. CONRADI,
Holmiens. Suecus.

Impiger ut tandem devicto Miles ab hoste
Praemia sollicito digna labore capit:
Praemia sic merito capis haec sudore parata,
Dum vigil Aënia miles in arce manes.
Gratulor ergo *Tibi*, grator laudabile coeptum,
Atque *Tuis* coeptis prospera cuncta precor.
Perge pias Musas venari, *dulcis Amice*,
Nam sic pro meritis praemia plura feres.

Haec Nobilissimo Præstantissimoque DN. RESPON-
DENTI, Amico suo aestimatissimo pariter ac
suavissimo, gratulabundus apposuit

VLRICVS GEORGIVS GÜNTHER,
Berga-Rug. Opponens.

Wer Wissenschaften liebt/ ohn' Unterlaß studiret/
Wer seine größte Lust/ in denen Büchern sucht;
Wer gute Schrifften ließt/ und fleißig meditiret/
Die Eitelkeiten flieht/ die Grillen gang verflucht;
Mi-

Minervam selbstn sich zur Führerin erwehlet
 Und Dero klugen Trieb geneigte Ohren gibt;
 Damit er keineswegs den rechten Steg verfehlet/
 Der zu der Weisheit führt/ die er ganz innigst liebt;
 Ist der nicht hochbeglückt? kan nicht ein solcher sagen:
 Daß Er ein Musen-Sohn (Sophiens Schoß-Kind)
 sey;
 Und hoffen daß dereinst nach Mühe/ Schweiß und Pla-
 gen/
 Mit einem Lorber-Cranz/ belohn't werd seine Tren.
 Diß Muster ist bey DZK mein werther Freund zu
 finden/
 Indem Du accurat, dasselbe observirt;
 Was die Gelehrsamkeit/ und Tugend kan verbinden/
 Was Ruhm und Nutzen bringt/ was die Gelehrten
 ziert:
 Du wirst getreuer Freund den Orth anitz bestei-
 gen/
 Wo aller Musen-Sitz/ wo Phœbus residirt;
 Und der gelehrten Weltdt/ mit grossen Beyfall zeigen/
 Daß du an diesen Orth/ mit Nutzen hab'st studirt;
 Wohl an ich wünsche Glück/ zu dieses DEJN Beginnen/
 Des allerhöchsten Huld/ und reiche Gnaden-Hand
 Laß alles Wohl-Ergehn wie Ströhme auf DJE
 rinnen/
 Er mache DEJNEN Ruhm der ganzen Weltdt
 bekand;

Dis wünscht Deintreuester, und stets verbund'ner Freund,
 Jedoch in dieser Stund ein wohlgeneigter Feind.

LUDOV. AVG. WÜRFFEL,
 Gryph. Pom. SS. Theol. & Phil. Stud.
 Opponens.

Was

Was hilft Gelehrsamkeit? Was hilft ein vieles Wissen?
 Ja es heist lauter nichts, wenns keine Früchte zeigt,
 Denn dieses lehrt uns selbst die Viebel Gottes schliessen,
 Wenn ein gegebenes Pfund nicht in die Höhe steigt,
 Nach dieser Vorschrift nun kanst Du mit Nachdruck zeigen,
 Wie Dir Dein munt'rer Fleiß den Weg gebahnet hat,
 Apollo lasset Dich Minervens-Thron besteigen,
 Und fröhnet Deinen Sieg als eine Helden-That.
 Drum werther MUSEN-Sohn, der holden PIERINNEN,
 Verharre ohn Verzug der Weißheit nachzugeh'n,
 So wirst Du gang gewiß, den Ehren-Lohn gewinnen,
 Und man wird Sieges-Palm auf Deinen Haupte seh'n.

Mit diesem wenigen wolte sein erkäntliches Gemüth gegen den Herrn
 Respondenten bezeugen/ dessen aufrichtiger Freund

JOH. FRIED. DALLMER.
 Panfino-Pomer. Opponens.



PRAEFAMEN.



Lteram nunc, Benevole Lector, Partis Posterioris Sectionem Historiæ Resurrectionis Christi, secundum Matthæum explicatæ, & harmonice cum Narrationibus reliquorum Evangelistarum collatæ, tibi exhibeo, atque sic labori huic finem impono. Neque tamen hic mihi subsistendum esse duco, sed in dulcissima hac de facta Jesu nostri resurrectione meditatione ulteriorem progressum facere cogito, quam primum per alia negotia opusculum, quod meditor, aggredi licuerit. Tu interea vale & fave.

§. I.

IN Sectione prima Partis posterioris Sermones, quos Christus cum suis contulit Hierosolymis, egimus. Nunc quoque audiemus, quid in Galilæa cum iis locutus sit. Ad mare prope Tiberiadem (a) audimus eum, e frustra piscantibus discipulis, quærere: (b) *filioli, nonne quid edulii habetis?* (c) Statim pergit loqui: *Facite ad dexteram partes navis rete, & invenientis.* (d) Postquam in terram accesserant discipuli, mandat iis: *Afferte de pisciculis, quos captastis.*

A

Et

Et deinceps: agite, prandete. (e) Post prandium cum PETRO locutus: *Simon Jona, inquit, amas me plus illis?* (f) Quo respondente: Utique Domine, tu nosti, quod diligam te; (g) mandat ei: *Pasce agnos meos.* (h) Paulo post (i) iterum secunda vice dicit ei: *Simon Jona, amas me?* (k) Et Petrus respondet iisdem, ut ante, verbis, iterumque mandatum accipit: *Pasce oves meas.* Verum & tertia vice dicit Jesus: *Simon Jona, diligis me?* (l) Et Petrus, licet contristatus, quod tertio interroget eum, confidenter tamen respondet: Domine tu omnia nosti; tu cognoscis quod diligam te. (m) Atque sic denuo mandat ei Jesus: *Pasce oves meas.* (n) Simul vero addit: *Amen, amen,* (o) dico tibi, cum esses junior, cingebas te ipsum, & ambulabas, quo volebas; quando vero senesces, extends manus tuas, & alius te cinget, & duceris, quo non vis. (p) Quod cum diceret, abiens Petro dicit: *Sequere me.* (q) Sequens vero hic cum interrogat in via, quid futurum sit de Johanne, responsum accipit: *Si eum volo manere usque dum venio, quid ad te? Tu sequere me.* (r)

(a) Vid. Dissert. prior. §. VI.

(b) Joh. XXI. 1. sqq.

(c) Vid. Dissert. pr. §. VI. (c) pag. 46. sqq. Uti hic suaviter suos compellat *παῖδια*, ita Joh. XIII. 33. legimus *τεχνία*.

(d) Admirati sumus in P. pr. l. c. miram discipulorum mansuetudinem, quod dicto obedientes fuerint homini ignoto. Unde vero ista mansuetudo? Præter id quod a Spiritu S. per fidem habebant, forte naturaliter quoque hic aliquid fecit defatigatio virium, qua domiti quasi, libenter ad quemvis nuntum

tum fuerunt parati, si forte aliquid piscium prendere possent, nec labores nocturnos frustra omnino impendissent.

(e) Ut patrem familias Dominus hic se gerit, jubens quid edendum & quando prandendum sit, ut eundem se viderent discipuli post resurrectionem, quem habuerant ante mortem. Quo factum etiam est, ut tam familiariter eo uterentur, omni metu prorsus proscripto, neque quisquam inter omnes esset, qui dubitaret de vera Domini præsentia. Cæterum de voce ἀγιστης dubium movet CHR. STOCKIUS ad N. T. h. l. an de prandio accipiendum sit, an de cibo matutino. Quod nobis perinde esse potest.

(f) Facile novimus, quod interrogandi occasionem sumferit Christus ex illa Petri alacritate, qua medias per aquas forciis antevertens ad ipsum penetraverat. Ut igitur in amore animum ejus confirmaret, contra lapsum muniret, & ad mortem futuram præpararet, quæstionibus hisce eum exercet.

(g) Duplex sensus ex hoc Petri responso elici potest. Si verba posteriora attendimus, sensus est, eum non quidem aliis se præferre, sed tamen certo respondere posse, quod utique Dominum diligit. Et hac ratione scite AUGUSTINUS: *Sufficit ei, testimonium perhibere cordi suo, noluit iudex esse cordis alieni.* Si hæremus in particula *vai*, profecto, utique, dicendum erit, Petrum non dubitasse affirmare, quod omnino Christum plus diligit, quam alii. Posterius hoc placet BEZÆ: Neque talis responsio a mente Petri abludit, quam alias in eo deprehendimus. Vid. Matth. XXVI. 33. Verum ad saniora redierat Petrus, per lapsum dejectus a sublimitatibus suis naturalibus. Præferenda igitur est sententia prior, quæ etiam satis fundata est in responso illo: *Tu nosti, quod diligam te.* Alias enim dicendum ei fuisset: *Tu nosti, quod diligam te plus hisce.*

(h) Occasione istiusmodi piscatus, qualem hic habemus, Christus Petro promissionem dederat, quod vivos capturus sit homines, Luc. V. 10. Ne igitur lapsu suo hac apostolatus

A 2

gratia

gratia excidisse, ut reverti ad eam non liceret, videretur vel sibi, vel aliis, restituit Dominus ei hanc potestatem, præsens sex testibus. Primo per lærum angelorum nuntium animum ei reddiderat, Marc. XVI. 7. quem jam ante mortem ad poenitentiam excitaverat, Luc. XXII. 61. Postea tanquam ovem errantem in sinum receperat, Luc. XXIV. 34. Nunc quoque restituit auctoritatem apostolatus, ut inter omnes constaret, eum a Domino non esse rejectum. Admiranda vero est singularis illa *φιλανθρωπία* & ad fauciatum in conscientia accommodatio, qua eodem modo & occasione restituit, quibus ante illud contulerat.

(i) Ita puto, negotium hoc peractum esse, ut nimirum non continuo repetierit quæstionem sapientissimus Jesus, sed mora quadam interposita redierit ad id, quod modo interrogaverat. Ita enim majori cum efficacia Petri animus excitari poterat. Ita etiam Petrus abnegationem per intervalla repetierat.

(k) Ut amor Petri radices agat repetit priorem quæstionem. Amabat Christum ante satis impense, ita ut vel mortem cum ipso subire veller: nondum vero ita radicatus erat amor, ut persecutionum procellis cedere necesse non haberet. Ne igitur, si de futuro persecutiones ipsum invaderent, iis ferendis iterum impar esset, hoc modo Christus eum præmunivit. Cæterum videmus, Christum velle, ut pastores, quos constituit, amore in ipsum ducti pascant oves. Conf. Matth. VII. 22. 23. Quod si satis attenderemus, die noctuque in id incumberemus, ut amore Christi repleremur.

(l) Ter Christum abnegaverat, ter Christus interrogat. Si recte amasset, nunquam abnegasset. Quare vero *Simonem* *Jona* semper vocat, cui nomen *Petri* imposuerat? Matth. XVI. 18. Si quid causæ hic subest, quod non absolute dixerim, Petrum dicere noluit, nisi ante amorem suum satis declarasset.

(m) Ita jam de suo erga Christum amore convictus est, ut secure ad omniscientiam Christi provocet. Ea genuina fidei indoles est, ut certa sit de se ipsa & de efficacia sua. Equi-

qui-

quidem contristatur Petrus, quod tertia jam vice Christus interrogat; attamen consistit in hac tentatione. Si quæras, unde hæc tristitia originem suam duxerit, nihil certi hac de re statuere licet. Oriri enim potuit ex formidine, quod sciret Jesus, se non omnino diligi a Petro. Vid. Matth. XXVI. 34. Adscribi etiam potest pudori, ex reminiscencia factæ trimæ abnegationis. Nec absurdum erit, si causas has conjungas.

(n) Primo loco dicit Jesus: *pasce agnos meos*; secunda vero & tertia vice: *pasce oves meas*. Si quis existimet, distinctos esse agnos ab ovibus, ex vocibus diversis certam assertionis suæ rationem petere non potest. Variat enim Christus verba pro lubitu. Dicit *φιλεῖν*, quod modo dixerat *ἀγαπᾶν*, item *ποιμαίνειν*, quod modo *βόσκειν*. Ita etiam dicit *προβατα*, quæ modo dixerat *ἀρνία*. In re ipsa tamen differentia est. Vid. Esa. XL. 11. An vero Christus hoc loco ad differentiam illam attenderit, non dixerim. Etenim per tenerrium amorem *ἀρνία* dicere potuit, quæ alioquin ovium nomine appellat, uti supra *παιδιά* vocabat barbatoſ suos discipulos.

(o) Asseveratio Christo familiaris. Vid. Jo. GE. WEBER Commentat. Exegetico-Theol. in *Amen* Evangelicum, quæ anno proxime elapſo Jenæ prodiit.

(p) Recte observat H. GROTIUS, respicere hæc ad antecedentia, & quidem ad id, quod *superariam cinctus venerat*, ex navi egressus per aquas in terram transierat, rete piscibus supra modum impletum attraxerat. Quæ actiones omnes sunt juvenis robusti, consiliis & factis prompti. Occasionem igitur arripit ex his Christus, ut Petro significet, qua morte olim prædicaturus sit DEum, simulque causam exponit, quare ter repetiverit quæſtionem, an amet se. Nimirum, quæ forte in hac juventute sua propter Christi nomen facile perferret, ea in senectute non æque facile perferre poterat. Confortandus igitur erat Simonis animus in futuram mortem ignominiosam, & præcipue amor erga Christum, qui quascunque ignominias, opprobria, verbera, vulnera, mortis amaritudinem, facile vincit, ita erat suscitandus & inflammandus, ut nullis

torrentibus, nullis fluviis extinguī posset. Vid. Cant. VIII. 6. 7. Quæ si observamus, facile liquet, *ἥ* hic esse significationis indefinitæ; neque enim nunc grandævus erat Petrus, sed virili robore instructus, uti ex dictis constat. Sed quæritur, an circumscriptione ista, quod *extensurus* sit *manus*, quodve *alius* eum *cincturus* sit, certum mortis genus a Christo significetur, an vero in genere tantum magnus noster Propheta hoc modo mortem prædicat Petro? Mihi fere dubium non est, quod ad certum mortis genus respiciat, quia expresse interpretationem interponit JOHANNES, quod significarit Jesus, *πάλω θανάτω* DEum glorificaturus sit. Quod enim dicitur, Sacrum scriptorem hoc modo tantum innuisse, moriturum Petrum morte *violenta & cruciabili*, mihi non sufficit, quia id jam per verbum *δόξα* exprimitur. Martyres enim omnes violenta morte, quam patiuntur, DEum glorificant. Accedit, *extensionem manuum*, utut applicari possit ad captivos, qui *vinciuntur*, vid. Act. XXI. 11. ac inviti manus extendere coguntur, potiori tamen jure prædicari de iis, qui ad crucem manus extendunt. In eo etiam, quod Christus Petrum *sequi* se jubet, symbolum crucis latere videtur, quippe quo innuere potuit, eum sequi se debere ad crucis supplicium. Nec contemnenda est GROTII observatio, qui rationem quærit in verbis *ὅπῃ & θέλεις*, *quo nolles*, hoc sensu: *agent te quo nolles, id est in malam crucem*. Pondus huic rationi Grotianæ accedit, si cogites, esse id ipsum, quod Petrus in passione Christi declaraverat per abnegationem, scilicet nolle se trahi cum Christo in crucem. Sensus autem verborum *ὅπῃ & θέλεις*, si Christus Petri abnegationem respicit, hic est: *Duceris quo non vis*, per eam declarationem, quam nuper dedisti cum me vinctum in manibus hostium, & ad crucem destinatum, conspiceres. Quæri etiam hac occasione solet, an Petrus Romæ crucis supplicium subierit? Sed nolumus ad ambages declinare. Si placet paucis accipere quid de commemoratione Petri, fueritne Romæ, statuamus, vide is Historische Grundlegung pag. 979. sq.

(q) Se-

(q) Secutus igitur est Petrus Christum, a ripa maris abeuntem. Quorsum vero ivit Christus? Quonam in loco mansit? Qua ratione Petrum & Johannem a se iterum dimisit? Quid vel cum duobus illis, vel cum solo Petro locutus est? Num forte Petro aliquid imaginis crucis perpetiendæ ostendit? Verum de hisce omnibus nihil ad posteros transmitti voluit divina providentia. Quid igitur ad nos? In iis, quæ scripta sunt, adquiescimus. Si Jesum amamus & sequimur, habemus omnia, licet nesciamus multa.

(r) Johannes, quoad licebat, indefessus lateri Christi adhærebat, & ab eo divelli se non patiebatur, vel sub ipso crucis patibulo. Itaque etiam nunc, licet ad sequendum a Christo non invitaretur, sequebatur tamen amore ductus. Petrus igitur, de amore Johannis erga Jesum satis persuasus, cogitans forte, si amantium fors sit pati cum Christo, eum præ aliis mortem pro gloria Dei subire debere, quærit ex Christo, quid de eo futurum sit? annon & huic significare velit, quid crucis ei paratum sit? Tum Jesus respondet: *Si eum volo manere usque dum venio, quid ad te? tu sequere me.* Vult igitur Christus, Petrum non esse debere ἀλλοτρίο ἐπίσκοπον, Vid. 1. Petr. IV. 15. & Conf. 1. Tim. V. 13. sed in ea, quæ sibi mandantur, intentum: posse enim ei perinde esse, si violenta morte adeo non abripiatur, ut perpetuo usque ad adventum suum in vivis maneat. Licet vero non dicat, eum eo usque superstitem fore, videtur tamen obscure significare, eum morte violenta non moriturum. Qua vero morte, quave ætate Johannes mortuus sit, de eo judicare nostri nunc officii non est.

§. II.

Auditis, quæ in litore maris locutus est Jesus cum suis, nunc quoque quid in monte Galileæ dixerit ex relatione ΜΑΤΘΑΙ percipiemus. (a) Ita vero ille: (b) Et accedens Jesus locutus est cum illis, dicens: (c)

Data

Data mihi est omnis potestas in cælo & in terra. (d) Proficiscimini igitur & discipulos facite (e) omnes gentes (f) baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, (g) docentes eos observare omnia quæ præcepi vobis. (h) Et ecce, ego vobiscum sum omnes dies, (i) usque ad consummationem sæculi. (k)

(a) Vid. Dissert. pr. §. VI. & not. (d) (e) (f) (g)

(b) Cap. XXVIII. 18. 19. 20.

(c) Sermonem dirigebat ad apostolos, præsentibus autem erant plurimi alii. Ita enim solitus erat Christus loqui cum suis. Vid. Matth. V. 1. 2.

(d) Uti totus in eo est MATTHÆUS. ut ostendat Jesum Nazarenum esse verum Messiam: Ita quæ ad officia ejus pertinent historice commemorat secundum ordinem, quo paulatim ea exercuit. Primo igitur, quæ ratione munus Propheticum docendo & miracula perpetrando adimpleverit, exponit. Deinceps Sacerdotalis muneris consummationem enarrat. Denique quomodo post resurrectionem regium officium administraverit, verba hæc referendo ostendit. Nimirum missurus apostolos, ut regnum sibi colligerent ex omnibus gentibus, fundamenti loco subternit, quod data sibi sit omnis potestas, ut scirent, non esse quod dubitarent, an felici successu evangelii præconium in toto mundo peragere possent, nec ne, sed potius regis sui autoritate fretos apostolatium in se suscipere posse. *Solus is, inquit BENED. ARETIVS, recte mittit Legatos, qui plenam habet potestatem mittendi: At Christus eam plenam habet; Ergo justa est illius commissio. Quod vero sit plena, inde est, quia cæli & terre potestas illi data est, quo totum complectitur ideoque plenum. Quod autem sit justa illa potestas, inde est, quia data est, non rapta per vim, qualis erat Satana potestas in hominem malis artibus quesita. Christus talis non est, sed collata est a DEO Patre. Non quod eam prius non habuerit, sed quod post resurrectionem id innotescere debuit toti mundo. &c.*

(e) Mæ-

(e) μαθητεύειν uti vi vocis vel esse discipulum, vel facere discipulos, ποιῆν μαθητάς, Joh. IV. 1. significat, ita hoc loco aliam quam posteriorem significationem non admittit. Utut enim alias docendi actum, quem LUTHERUS in versione sua respexit, significare possit, tamen hoc loco tanquam genus sub se comprehendit duos actus discipulos faciendi, alterum baptismationis, alterum institutionis. Sequitur enim βαπτίζοντες & διδάσκοντες. Mittit igitur Jesus suos, ut sibi, cui data est omnis potestas in coelo & in terra, per hanc ipsam potestatem colligant discipulos veritatis, qui vivant cum ipso in regno suo. Neque tamen hæc talis collectio absque præconio verbi fieri potuit apud adultos.

(f) Per potestatem, non in unam aliquam gentem sed in universum terrarum orbem datam, confert Christus discipulis suis auctoritatem, discipulos faciendi non unam tantum, ut olim, sed omnes omnino gentes, nulla plane exclusa.

(g) Non in suo nomine baptizare debebant apostoli, tanquam qui externo hoc ritu obstrictos ad doctrinam suam facerent fideles, conf. 1. Cor. I. 13. 15. sed in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, jussu nimirum atque auctoritate divina, ut baptismo, tanquam a Deo constituto salutis medio, reciperentur in gratiam. Quem vero peculiarem respectum ad Christi mortem & resurrectionem habeat baptismus pluribus explicat Paulus capite sexto ad Romanos. Vide sis gründliche Gedanken von den leichten und süßen Wegen Gottes etc. Lib. I. Cap. IV. §. IX.

(h) Ad hanc institutionem non solum credenda & agenda spectant, sed etiam ritus illi sacri, ipsius nimirum baptismi atque sacræ coenæ. Quo de posteriori apostolus: Ego enim, inquit, accepi a Domino quod etiam tradidi vobis, seu docui vos, ut ita institueretis in ecclesia sacram coenam.

(i) Hac promissione uberius confirmat apostolos in suscipiendi muneris fiducia, hoc sensu: Non tantum per potestatem mihi datam mitto vos, sed ipse quoque, licet ex oculis vestris abeam, ut me in posterum non videatis, apud vos maneo, & vobiscum operor, & quidem omnes dies, non iterum iterumque rediens, quasi, visurus, quid faciant servi, sed perpetuo,

B

petuo,

petuo vobiscum ambulans, officiumque vestrum benedictione & virtute mea stabiliens. Quam Christi promissionem si recte nobiscum perpendimus, facile videbimus, quid MATTHÆUM commoverit, ut in recensendis apparationibus sermonibusque JESU ex mortuis resuscitati parcius fuerit. Regium enim, quod prædicat, officium ex ipso per apostolos collecto regno satis in omnium oculos incurrit, & omnes dies manifesto testatur, quod Christus ex mortuis resuscitatus regnet in coelo atque in terra.

(k) Subdubitare videtur SALOMON VAN TILL, intelligendane sit consummatio seculi, an politiæ Judaicæ. Verum MATTHÆUS non nisi in sensu priori phrasi hac utitur, Vid. Cap. XIII. 39. 40. 46. XXIV. 3. Res ipsa quoque id postulat. Christus enim suam præsentiam non tantum, usque ad finem politiæ Judaicæ promittere potest, quia semper & ubique præsens est. Vid. Matth. XVIII. 20. Ne quid nunc dicamus de usu vocis *αἰῶνες* apud Judæos, de quo consuli potest HENRICUS HAMMONDUS h. l.

§. III.

Supereſt aliquid sermonum Christi, e mortuis resuscitati, apud MARCUM, (a) qui, postquam narravit, eum ultimo manifestatum esse discipulis undecim una sedentibus, (b) ita pergit: Et dixit iis: (c) *Proficiscimini in totum mundum, & predicate evangelium omni creatura.* (d) *Qui credit & baptizatur, salvabitur: qui vero non credit, damnabitur.* (e) *Signa vero eos, qui credunt, hæc sequentur:* (f) *In nomine meo demonia ejicient:* (g) *linguis loquentur novis:* (h) *serpentes tollent:* (i) *& si quid mortiferi biberint, non nocebit iis:* (k) *agrotis manus imponent, & bene se habebunt.* (l)

(a) Cap. XVI. 15. 16. 17. 18

(b) Observavimus in Dissert. pr. §. V. (a) pag. 41. autorem hunc in his verbis omnia illa, quæ cum discipulis inde a resurrectione usque ad adscensionem locutus est JESUS, summariter enarrare. Quod si

Quodsi SALOMONEM VAN TILL in breviori illa, quam Commentationi in Matthæum adjecit, harmonia Evangelistarum audire volumus, in cœna quadam, certo die hunc in finem præparata, associavit se accumbentibus, mandatumque dedit discipulis, ut se ad iter in Judæam accingerent. Verba auctoris pag. 1048. hæc sunt: In einem besondern Tag hat er bey einer express darzu angelegten Mahlzeit sich bey die ansitzende gefüget, und Ordre gegeben wegen seiner Reise nach Judæa zu, daß er von dem Delberg von ihnen in den Himmel hinauf führe. Act. I. 4, 5. Verum enim vero nihil hac de re legimus in sacra scriptura. Certe in loco ab Autore ex Actis Apostolorum adducto nihil, quod eo trahi possit, invenimus, nisi τὸ συναλιζόμενος cum Vulgato Interprete verti velimus *convescens*. Vid. infra §. IV. (c) Forte ea, quæ MARCUS habet, meliori jure de istiusmodi cœna accipi possent, si illud ὕστερον v. 14. de ultima apparitione Christi acciperetur. Dicitur enim ibi ἀνακειμένοις αὐτοῖς, *discumbentibus iis*. Verum evictum jam est in priori Parte, quod ὕστερον de ultima primi diei apparitione accipiendum sit.

(c) Verba hæc: *Et dixit iis*, non ita connectenda sunt cum antecedentibus, ut credas, eodem hoc die, quo discipulis apparuit, & incredulitatem ipsis exprobravit, hæc quoque, quæ sequuntur, addidisse JESUM. Cohærentia vero in eo consistit, quod divinus Scriptor primo quidem commemoret, factam esse ultimam apparitionem primo die una congregatis in cœna undecim, ac exprobrasse tunc Christum discipulis incredulitatem: Tum vero pergat: *Et dixit iis*, id est, Et summa eorum, quæ non hoc die tantum, sed post sæpius per quadraginta illos dies usque ad adscensionem cum iis locutus est, hæc fuit. Ratio autem hujus connexionis est, quoniam non sine coacta quadam explicatione illud ὕστερον ad ultimam apparitionem referri potest, & nihilominus tamen narratio usque ad adscensionem Christi extenditur. Observat ven. D. NIC. KÖPPENIUS noster in Disp. de Ordine Apparitionum Christi 1701. habita, §. 29. recentiores plerosque pericopam hanc in tres partes, & totidem distinctas apparitiones distinguere, ut



v. 14. ad apparitionem vespertinam ipsa die Resurrectionis, v. 15-18. ad apparitionem in Galilæa, v. 19. 20. ad ultimam, quæ adscensionem præcessit, referant; simul vero addit, nonnullos in duas saltem partes secare, & v. 14. usque 18. incl. referre ad visionem factam in die Paschatis, v. 19. 20. vero ad ultimam ante adscensionem. Ipsi doctissimo Autori sententia AVEVSTINI placet, quod jam v. 14. ad novissimam in die quadragesimo apparitionem sit referendus. Argumentum primum ei est indivulsa narrationis usque ad finem aut saltem v. 20. connexio. Nobis quarta quædam, quam modo explicavimus sententia arridet. Licet vero non negemus, argumentum ab indivulsa narratione desumptum omnino suum pondus habere, facilius tamen, si relinquenda esset quarta illa, quintam quandam eligeremus sententiam, statuentes, sermonem illum totum, quem MARCVS literis mandavit, ad factam die primo apparitionem referendum esse. Licet enim Evangelista narrationis suæ filum usque ad adscensum Christi in cœlos pertrahat, ea tamen v. 19. interspergit verba, quæ quadraginta dies explere possunt. Nam postquam sermonem Christi exposuit, v. 19. pergit: *ὁ μὲν ἐν Κύριος μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς*, quæ verba commodum hunc fundunt sensum: *Dominus igitur postquam omnes illos quadraginta dies, quos in terra ante adscensionem versatus est, de omnibus, quibus opus erat, satis cum iis locutus erat, & disposuerat, assumptus est in cœlos. Sed nolumus latius nos diffundere. Ordinem enim quærimus, ipsa verba, in quibus cardo rei versatur, habemus.*

(d) Non subsistendum in terminis Judææ; neque solis Judæis in toto mundo dispersis, sed omni creaturæ, seu omnibus omnium gentium hominibus evangelium prædicandum esse jubet Christus. Hebræis בריאה *creaturam* præcipue significare hominem, excellentissimum istud opus manuum Dei, passim observant interpretes. Inter alios Jo. LIGHTFOOTVS in Hor. Hebr. h. l. scribit: *לכל הבריות* *Phrasiologia Judæis tritissima, per quam I. omnes homines denotantur, II. Præcipue vero intelliguntur gentiles*

gentiles. Non autem satis hæc intellexisse tunc temporis discipulos, colligere possumus ex eo, quod Act. X. de Cornelio atque Petro narratur.

(e) B. CALOVIVS h. l. *Non repetitur hic mentio baptismi, non quod vox hæc opponatur & credenti & baptizato, sed quia non eadem necessitatis est ratio, quantum ad fidem & baptismum. Quia sine fide impossibile est Deo placere, Ebr. XI. 6. Adeoque fides simpliciter necessaria est omnibus salvandis: non item Baptismus. Etsi enim hic medium sit ordinarium salutis, ad quod omnes adstringit DEUS, uti olim ad circumcisionem adstricti erant Israëlita, tamen sibi non ligavit DEUS manus gratiæ, quo minus sine baptismo nobis gratiam & salutem conferre possit.*

(f) Videtur HVGIO GROTIUS solis vere regenitis dona Spiritus S. vindicare. dum scribit: *Non omnibus omnia. Sunt enim διαφόροις χαρίσματων, 1. Cor. XII. 4. Ita tamen ut cuilibet NB. ut oportet credenti aliqua tunc data sit admirabilis facultas, quæ se non semper quidem, sed data occasione explicaret. Nec displicuit hoc ABR. CALOVIO. Verum ex dicto Christi Matth. VII. 22. 23. constat, impiis quoque collata fuisse hæc charismata, si assensum præbuerunt doctrinæ de Christo. Sed distinguenda forte sunt tempora, ut ii, qui donis extraordinariis instructi fuerunt, in ipso factæ collationis momento ita crediderint, ut oportet, postea vero, licet non amplius, ut oportet, crediderint, tamen dona extraordinaria retinuerint.*

(g) Quod MARCUS donum ejiciendi dæmones primo loco ponit, id secundum sententiam GROTII factum est, quia communiter dabatur omnibus credentibus. Quod ut probet, satis multa affert Patrum testimonia, ex quibus TERTULLIANI in Apologetico præ aliis notatu dignum est: *Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.*

(h) Novæ lingvæ dicuntur, quæ iis, qui loquebantur illas, inusitatæ ac incognitæ erant. Plurimos, præter Apostolos, B 3 Chri-

Christianos hoc dono a Spiritu S. instructos fuisse ex sacris literis constat. Vid. Act. X. 46. XIX. 6. 1. Cor. XII. 10. XIV. 26.

(i) Vid. Act. XXVIII. 5.

(k) De Johanne Apostolo nonnulli hoc referunt. Plura exempla adducit GROTIUS, qui etiam in Talmudistis observavit, narrare eos, cognatum quendam Josuæ filii Levi cum venenum bibisset, pronuntiato Jesu nomine convaluisse.

(l) Vid. Act. XXVIII. 8. Jac. V. 14. Cæterum non improbanda est GROTII sententia, quod omnia hæc σημεῖα non per se tantum sint beneficia, sed & expressas in se contineant imagines eorum beneficiorum, quæ animis per evangelium contingunt. Neque improbat CALOVIVS doctissimi hujus interpretis observationem, quam ad verba δαίμονια ἐκβαλῆσθαι adjecit: *Cum vero multo etiam seriora secula plena sint testimoniis ejus rei, nescio qua ratione moti quidam id donum ad prima tantum tempora restringant: quibus ut uberiorem fuisse miraculorum copiam ad jacienda tanti adificii fundamenta contra vim mundi facile concedo, ita cum illis exspirasse hanc Christi promissionem cur credamus non video. Quare si quis nunc etiam gentibus Christi ignavis (illis enim proprie miracula inserviunt, 1. Cor. XII. vers. 22.) Christum, ita ut ipse annuntiari voluit, annuntiet, promissionis vim duraturam non dubito. Sunt enim ἀμεταμέλητα τὰ θεῶν δῶρα. Sed nos, cujus rei culpa est in nostra ignavia aut dissidentia, id solemus in Deum rejicere. Nostri his temporibus, & in hoc ipso currente decennio, ægrotorum per preces manuumque impositionem sanationes non infeliciter tentavit in Svecia quædam CATHARINA FAGERBERG, testante Resolutione judiciali Dicasterii S. Reg. Majest. & Regni, d. d. 12. Febr. 1733. cujus copia mihi per amicum quendam præterito anno concessa fuit, sed quam typis jam impressam video in Collectionibus selectarum materiarum zum Bau des Reichs Gottes, XII. Beytrag. pag. 501. sqq. Varia sunt in singulari hac ægrotorum sanatione, quæ non omnino cum meis hypothesebus conciliari possunt, e. g. quod mulier hæc omnes morbos a dæmoniorum operationibus deriveret. Verum mihi nunc sufficit, quod preces*

ces & manuum impositionem exceperit morborum sanatio, & istiusmodi quidem morborum, qui ex parte medicorum opera difficillimi sanatu fuerunt. Quæ vero nostra ceteroquin de donis miraculosis nostro tempore vel exspectandis vel non exspectandis sententia sit, explicavimus in specim. disput. de *Donis Spiritus S. Extraord. Primit. Ecclesie*, 1719. habita, Lipsiæque statim recusa, §. XVII.

§. IV.

Denique nec ea sermocinatio, quam in Bethania, [a] jamjam in cœlos adscensurus, cum suis discipulis habuit Christus, [b] silentio prætereunda est. Postquam in cœtum convenerat, [c] præcepit iis Hierosolymis non secedere, [d] sed exspectare promissionem Patris, quam, inquit, [e] *audistis a me*. Nam Johannes quidem baptizavit aqua, [f] vos vero baptizabimini in Spiritu Sancto, [g] non post multos hos dies. [h] Interrogantibus vero iis, qui convenerant: Domine, in hoc tempore restitues regnum Israëli? [i] Dixit ad illos: *Vestrum non est cognoscere tempora & horas, quæ Pater posuit in propria potestate*. [k] *Verum accipietis potentiam venientis super vos Spiritus Sancti: [l] Et eritis mihi testes & Hierosolymis & in tota Judea & Samaria, & usq. ad ultimum terræ.* [m]

(a) Vid. part. prior. §. VII.

(b) Vid. Act. I. 4. 5. 7. 8.

(c) In forma media participium συναλιζόμενος, nonnulli cum B. LUTHERO nostro accipiunt. Sensus quoad rem ipsam idem est. In Manuscriptis Collegii novi Oxon. legitur συναλιζόμενος, quam lectionem sequens VICT. STRIGELIUS in ὑπομνήμασι p. 332. scribit: *Sensus verborum hic est: Christus 40 dies post resurrectionem & triumphum commoratus est in terra velut in castris, ubi hostes suos vicerat ac prosligaverat. Nam συναλιζεσθαι est verbum militare, significans commorationem ducis victoris in ipso vestigio* com-

commissi prelii. Verum communis reliquorum Codicum omnium lectio prævalet. Vulgata habet *convescens*, quasi dicat, *communicans cum iis salem & mensam.* Sunt quoque in Patribus, qui cum CHRYSOSTOMO & OECUMENIO hanc interpretationem probant. Sed inconsuetior est hæc vocis acceptio, neque apparent in textu vestigia, ex quibus probari possit, quod illa hoc loco sit præferenda. Vid. Jo. LUD. LINDHAMMER Comment. germ. h. l.

(d) Videtur hæc repetere LUCAS ex narratione evangelica, Cap. XXIV. 49. Verum, si recte perpendimus locum citatum, cohærent verba Evangelistæ cum antecedentibus, adeoque credendum est, Christum in prima Hierosolymis facta discipulis apparitione jam præceptum hoc dedisse, ut inde, scilicet e Galilæa ad festum Pentecostes revertentes, non secederent prius, quam promissionem Patris accepissent. Hoc loco igitur repetit eadem ex ore Christi, postquam jam in cælum adscendens iterum iis hoc præceperat.

(e) In versione latina interponenda est vox *inquit*, utpote sensum illustrans. Græcam vero linguam admittere istiusmodi constructionem pluribus observant Critici. Vid. GE. RAPHELI Annot. Philol. e Xenophonte, p. 146. seq.

(f) Ita quoque JOHANNES baptista distinxerat baptismum fluminis a baptismo flaminis; Matth. III. 11. &c. Quemadmodum vero discipuli jam tunc acceperant Spiritum Sanctum, ita putandum non est, quod baptismus Johannis, a Deo præceptus, Matth. XXI. 25. Luc. VII. 30. Joh. I. 33. caruerit effusione Spiritus Sancti quandoquidem poenitentia ad remissionem peccatorum, Marc. I. 4. sine Spiritu Sancto applicari nequit. Conf. Tit. III. 5. 6. 7. &c. Quid? quod etiam Cornelius, & qui cum illo erant, postquam donis Spiritus S. extraordinariis instructi jam erant, tamen baptismo fluminis baptizarentur. Vid. Act. X. 44. sqq.

(g) Das Tauffen mit dem heiligen Geist, als dem Wasser des Lebens, bedeutet dessen reichliche Ausgießung, als mit Strömen, daß man darunter gleichsam bedeckt wird. Wie denn die Apo-

2po-

Apostel in dem Hause, das der heilige Geist vermittelst des Wines erfüllte, (Ap. Gesch. 2, 2.) gleichsam als in einem Teiche untergetaucht waren. Jes. 44. 3. Tit. 3. 6. JOH. LUDOV. LINDHAMMER h. l. Prævit hunc B. JO. GERHARDVS in h. l. p. 12: *Miraculosa illa Spiritus S. effusio vocatur baptismus propter copiam & abundantiam muneris; βαπτίζω est mergere: Vere igitur Apostoli dicuntur βαπτισθέντες, quia domus, in qua hoc factum est, Spiritu S. fuit repleta, ut in eam tanquam in κολυμβήθραν quandam Apostoli demerfi videantur.* Conf. & CASAVBONVS in h. l. citante CALOVIO *Bibl. Ill. b. l.*

(h) Diem non determinat, quippe quem scire eos non decebat, juxta ea quæ sequuntur. Dicit tamen dies non fore multos, ne cura expectationis diuturnioris angerentur.

(i) Quodsi obiter quæstionem hanc pensitamus, facile credimus, sensum ejus esse, an Christus velit regnum terrenum Israël restituere, ut non amplius Romanis atque Herodi subiectus sit populus Dei? Ita enim ante mortem Christi de regno hoc judicaverant cum aliis Judæis apostoli. Quodsi vero paulo altius nobiscum perpendimus, Christum intra quadraginta hos, quos cum iis post resurrectionem conversatus est, dies, locutum esse de regno Dei, v. 3. imo vero & mentem iis aperuisse ad percipiendum verum Scripturæ sensum, Luc. XXIV. 45. non est quod existimemus, eos adhuc præjudiciis regni terreni fascinosos fuisse; sed statuendum potius est, eos, quæ regni filii Dei natura sit nunc satis gnaros, interrogasse tantum *de tempore*, αν εν τῷ χρόνῳ τῷ τῷ in illo scilicet non multorum, quos expectare deberent Hierosolymis, dierum, *tempore* restituere velit regnum Israël, ad eum nimirum, quem prædixerant Prophetæ, modum, & in eo, quem ipsis explicaverat, sensu, ut ita, Hierosolymitani cum ipsis promissionem Patris accipere possint. De regno autem restituendo agunt Prophetæ Ps. II. 6. XXII. 29. CX. 1. 2. Jes. IX. 6. 7. Jer. III. 17. XXXI. 31. sqq. XXXIII. 15. 16. Dan. VII. 27. Am. IX. 11. Mich. IV. 7. Zach. IX. 9. &c.

(k) Tempora certa & opportuna significare καιρός satis notum est. Germanico idiomate vix datur alia vox, quæ græcam καιρόν exprimere possit, præter eam, qua usus est LUTHERVS, *Stunde*. Sibi vero suæque *potestati* tempora & horas ad-

ad-

adminiftrandi regni fui refervavit DEus, ut fideles partim ab omni curiositate inutili præfervarentur, partim a propriis aufibus atque conatibus cohiberentur, & in fola providentia atque directione divina acquiefcerent, exspectantes tanquam fervi vigilantes & obedientes, quando & quomodo placeat hero, id interea fedulo curantes, quod fibi agendum impofitum eft. Conf. Joh. XXI. 22.

(l) Postquam ab inani curiositate animum fuorum retraxit, instruit tamen eos, qua ratione regnum fuum adminiftraturus & inchoaturus fit. Dicit igitur, ipfos accepturos potentiam Spiritus Sancti, nimirum, ut donis ejus extraordinariis instructi regnum Jefu Christi prædicare atque colligere poffint. Hoc fcire ipforum erat; quia hoc agendum erat. Tempus vero & occasio verbum prædicandi Hierofolymis, & alibi terrarum, DEo refervatum erat. Sciebant e. g. Evangelium prædicandum effe Hierofolymis, *tempus* autem, quod incipere deberent primo Pentecostes die, & data illa confluxus ex omnibus nationibus Judæorum *occasione* in illo ipfo die, nesciebant. Sciebant quoque, Samaritanis prædicandum effe regnum Christi, tempus vero, horam, occasionem, modum, de quibus Act. VIII. 5. fqq. agitur, in potestate fua propria reposituerat DEus, ut ante, quam DEus de iis disponderet, nil quicquam resciscerent. Ita etiam reliquo tempore DEus sapientissimus res ordinavit, in hunc usque diem ordinat, & in posterum ordinabit.

(m) Interrogabant discipuli de *Israële*. Respondet JESus, non effe quod hærent in folis terminis Ifraëliticis, acfi Hierofolymis confluere debeant cum Ifraëlitis gentes, tanquam profelyti, facris Judæorum initiandi; fed testimonium de fe mortuo ac e mortuis refuscitato fpargendum ab ipsis effe non solum Hierofolymis, fed etiam in tota Judæa & Samaria, imo etiam in ultimis terræ finibus. Hærebat enim Apostolis præjudicium, quod gentes ad regnum Christi accessuræ ceremoniis Judaicis primo initiandæ forent, quod paulatim ex animis illorum, & reliquorum Judæorum, evellebat Spiritus Sanctus. Vid. Act. X. 34. fqq. XV. 1. fqq. Ephes. III. 5. 6.

S. D. G.